

sess. 14, cap. 4, ubi loquens de attritione, quæ cum sacramento valet ad impetrandam remissionem peccatorum, duas tantum ejus species ponit, scilicet quod ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex metu pœnarum inferni concepta sit; ergo juxta doctrinam Concilii detestatio peccati ex amore Dei concepta non est attritio, sed potius contritio.

43. Ac denique hoc argumentum saltem enervat fundamentum contrariæ sententiæ; nam etiamsi demus, aliquam esse attritionem ex imperfecto amore Dei conceptam, tamen dici non potest, eam esse simpliciter necessariam ad effectum baptismi obtinendum, quia sine dubio sufficere potest attritio concepta ex metu gehennæ, vel turpitudine peccati, si supernaturalis sit, et a gratia procedat; ergo quod contritio non sit simpliciter necessaria, nullum argumentum est, doctrinam Concilii non esse de contritione intelligendam, quia negari non potest, quin loquatur de contritione, aut saltem de attritione ex amore Dei concepta; neutra autem est simpliciter necessaria; igitur in omni sententia dicendum necessario est, Concilium non descripsisse dispositionem simpliciter necessariam; sed vel eam, quæ optima est omnium, magisque certa, et hominibus, etiam ante baptismum, magis consulenda; fortasse enim ideo abstinent a verbo necessitatis; solumque dixit: *Quam ante baptismum agere oportet*; vel certe enumeravit eos actus, qui, per se loquendo, sunt aliquo modo necessarii, non determinans, an omnes simul sint necessarii in omni justificatione intra et extra sacramentum; an vero perfectiores sint necessarii extra sacramentum, alii minus perfecti cum sacramento sufficient; quod clarius ipsummet Concil. docuit sess. 14, cap. 4.

44. *Concilii explicatio paucis contenta.* — Possumus autem hanc explicationem doctrinæ Concilii confirmare ex definitione canonis 3, ubi definit, neminem sine gratia excitante et adjuvante posse credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia concedatur. In qua definitione non fit expressa mentio dilectionis super omnia, sed dilectionis absolute; et tamen negari non potest, quin maxime comprehendatur dilectio perfecta, et super omnia ex charitate, nam de hac potissimum, imo de hac sola certum est, non posse sine gratia excitante et adjuvante haberi; nam de imperfecta dilectione, et incertum est, qualis sit, et quibus viribus fieri possit. Hujus autem canonis de-

finitio manifeste respondet doctrinæ datæ in superiori cap. 6; ergo utriusque est sermo de eadem dilectione; ergo etiam in cap. 6 est sermo de dilectione super omnia, vel solum, vel maxime. Concedimus ergo ad difficultatem propositam, Concilium in eo capite loqui de contritione, vel saltem illam in sua doctrina comprehendere; negamus tamen inde sequi contritionem esse necessariam ad justificationem, quæ fit per sacramentum; nam Concilium non tantum de hac justificatione loquitur, sed in communi de prima justificatione, qua homo adultus transfertur a statu peccati originalis ad statum gratiæ, quod nunc fit per baptismum in re vel in voto, ut cap. 4, docuerat. Et ideo describit dispositionem, vel optimam, vel in communi, ut possit secundum diversos actus ad diversos justificationis modos accommodari; non tamen dicit omnes illos esse necessarios in singulis justificationibus, ut nuper dicebamus. Et ideo fortasse inferius, can. 9, tractans Concilium de dispositione necessaria ad justitiam ex parte voluntatis, solum dixit, non sufficere solam fidem, et necesse esse hominem suæ voluntatis motu præparari et disponi; et damnat dicentes, nulla ex parte hanc dispositionem esse necessariam.

45. *Ad rationem primæ opinionis.* — Ad rationem illius sententiæ respondetur, contritionem quidem ex natura rei esse optimam dispositionem ad remissionem peccati, et ex justitia debitam Deo, ut homo, qui non potest ad æqualitatem Deo satisfacere pro injuria illata, saltem faciat quod in se est, quodque aversioni peccati maxime videtur repugnare. Christus autem novum peccati remedium instituens, rigorem justitiæ temperavit, et contritionis remedium lenivit, non quidem utilitatem ejus, sed necessitatem moderando. Nec dubitari potest, quin hoc facere potuerit, quia neque ex parte objecti repugnat, ut latius in materia de pœnitentia ostendemus, quoniam formalis causa justitiæ et remissionis peccati non est noster actus, seu dispositio, sed divina gratia, ut Concilium Tridentinum aperte docuit, neque etiam repugnat ex parte divinæ omnipotentiæ, tum quia potest gratis ac liberaliter injurias condonare, et gratiam suam, cui voluerit, conferre; tum etiam quia totum hoc meruit nobis Christus sua perfecta justitia, et rigorosa satisfactione.

46. *Ad fundamentum secundæ opinionis.* — Ad fundamentum secundæ sententiæ negatur,

post institutum baptismum contritionem esse per se necessariam ad primam justificationem, ut satis declaratum est. Hic vero inquiri posset, an talis contritio sit aliquando in vita necessaria, saltem in articulo mortis, vel propter majorem certitudinem, ut homo in tam gravi negotio nulli se periculo exponeret, vel certe propter obligationem connaturalem, quam homo habet convertendi se ad Deum modo perfecto et convenienti, quam obligationem non est necesse ablatam esse per baptismum, etiamsi absque illius executione possit obtineri justitia. Cum qua quæstione conjuncta est alia, scilicet, an in attritione, quæ sufficit ad effectum baptismi, includatur votum seu propositum habendi aliquando contritionem tempore opportuno, sicut includitur propositum servandi alia mandata: sed hæc quæst. tractabimus infra in materia de pœnitentia.

47. *Ad fundamentum tertiæ opinionis.* — *Sententia Soti falsa est.* — Ad fundamentum tertiæ sententiæ negatur eum, qui accedit ad baptismum cum solo dolore naturali, vel humano, non ponere obicem sacramento. Primo quidem, quia ipsa carentia debitæ ac necessariæ dispositionis est obex, sive culpabilis sit, sive etiam inculpabilis, quia est veluti carentia medii necessarii, sicut explicatum est; tum etiam quia solus dolor naturalis non censetur moraliter excludere affectum peccati, ut fuit contra Deum, finem naturalem. Ad primam confirmationem concedimus in baptismo requirendam esse minimam dispositionem; tamen eam saltem esse exigendam quæ possit esse dispositio; hujusmodi autem est solus dolor, qui supernaturalis sit, quique ex aliquo divino motivo procedat, quia naturalis actus non elevat voluntatem ad ordinem supernaturalem, neque extendit consensum ejus, et proximam capacitatem ad supernaturalem justitiam; dolor autem mere humanus, et ex motivo humano adhuc est minus sufficiens, quia revera, quantum est ex se, non tollit internum affectum peccandi, ut latius dicemus in materia de pœnitentia. Ad secundam confirmationem, falsam existimo etiam in hac parte sententiam Soti asserentis, aliquam attritionem sufficere cum sacramento baptismi ad remissionem peccati mortalis, quæ non sufficeret cum sacramento pœnitentiæ, quia nullum est fundamentum ad constituendam hæc differentiam, et quia juxta doctrinam

ejusdem Concilii attritio concepta ex metu gehennæ sufficit cum sacramento pœnitentiæ; videtur tamen illa attritio satis in sua specie imperfecta. Et idem est de attritione ob propriam fœditatem peccati. Non ergo fingi potest alia minus perfecta, quæ cum baptismo sufficiat, quia, nec quoad speciem fortasse dari potest, nec perfectio individualis aut intensiva est in aliquo sacramento necessaria. Quod ergo in sacramento pœnitentiæ dicitur difficilius, seu laboriosius pœnitentia requiri, quam in baptismo, intelligitur, quoad plenam satisfactionem seu remissionem peccati quoad culpam et pœnam, non vero, quoad solius culpæ remissionem, ut satis explicuit Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 2 et 8.

48. *Ad fundamentum quartæ opinionis.* — Ad fundamentum quartæ opinionis respondetur, non sufficere bonam fidem, ut homo non ponat obicem effectui sacramento, ut a fortiori patet ex dictis ad fundamenta tertiæ sententiæ. Atque hinc fit (licet aliter Cansentiatur) in rigore posse dari statum medium in eo, qui ad baptismum accedit, ita ut neque effectum consequatur, neque ob indignam assumptionem denuo peccet, vel propter invincibilem ignorantiam juris, putans non requiri aliam dispositionem præter voluntatem baptismi, vel propter ignorantiam facti, existimans se esse attritum, cum vere non sit. Dico autem in rigore, quia simpliciter non repugnat, quamvis moraliter vix sit credibilis talis ignorantia. Ad confirmationem respondetur ex supra dictis, non esse similem rationem de contritione et attritione, quia contritio non est simpliciter necessaria necessitate medii cum aliis sacramentis, sed solum necessitate præcepti; attritio vero, deficiente contritione, est simpliciter necessaria, necessitate medii. Deinde contritio potest in voto contineri in attritione; unde cum per attritionem voluntas avertatur a peccato, et in ea includatur propositum servandi mandata, ex eo potest esse sufficiens dispositio ad gratiam cum quolibet sacramento, si alioqui homo per bonam fidem excusetur a transgressione præcepti habendi contritionem, quod aliis sacramentis adjunctum est; at vero, remota vera attritione, non relinquitur alia inferior dispositio, quæ ad gratiam sufficiat, quæque satis avertat voluntatem a peccato, et propositum includat præstandi reliqua; et ideo existimatio attritionis non sufficit sine vera attritione.

SECTIO III.

Utrum baptismi effectus augeatur, minuatur vel impediatur ex dispositione suscipientis.

1. *Omnes infantes æqualem gratiam baptismalem recipiunt. — Prima objectio solvitur.* — Principio statuendum est, quæstionem hanc non habere locum in infantibus; nam sicut in eis non requiritur dispositio ad effectum baptismi, ita neque impedi potest ex defectu dispositionis; omnes ergo infantes infallibiliter recipiunt effectum baptismi, quoad gratiam, et omnia dona habitualia, quæ illam consequuntur, si verum sacramentum accipiant. Atque eadem ratione, sicut non possunt infantes per proprium actum se ad gratiam disponere, ita non possunt ratione dispositionis majorem aut minorem gratiam accipere. Unde fit, omnes infantes recipere æqualem gratiam baptismalem, ut hic D. Thom. sentit, et supra tractando de sacramentis generatim diximus, quia seclusa dispositione, non est, unde effectus hic varietatem aut inæqualitatem accipiat. Sed dici potest primo, posse illam recipere ex sanctitate ministri, aut ex oratione ejus, vel circumstantium. Sed jam supra dictum est, sanctitatem ministri non posse augere effectum ex opere operato, quia non est causa principalis, a qua sacramentum habet vim et efficaciam operandi, sed tantum est causa ministerialis, applicans instrumentum Christi. Et eadem ratione ex oratione ejus vel aliorum astantium, non potest hic effectus augeri; præsertim cum nemo possit alteri impetrare immediate infusionem gratiæ habitualis vel augmentum ejus, nisi impetrando dispositionem, seu auxilium congruum ad illam habendam.

2. *Secunda objectio. — Solvitur.* — Secundo dici potest, hunc effectum recipere inæqualitatem ex diversa capacitate naturali ipsorum infantium; nam Deus confert gratiam juxta capacitem naturæ, ut de Angelis Theologi docent. Sed ad hoc satis respondet D. Thom. in art., cui solum addendum est, gratiam sanctificantem proxime ac per se dari juxta proportionem dispositionis, quod etiam in Angelis servatum est, quia hoc postulat natura et perfectio illius formæ. Ad ipsam autem dispositionem eliciendam datum est eis auxilium gratiæ, perfectioni naturali proportionatum; unde datum est inæquale, quia naturalis perfectio et essentialis erat in Angelis inæqualis; et ideo non est eadem ratio de infantibus, tum

quia in eis non est varia capacitas essentialis; tum etiam quia non sunt capaces auxilii, quo se ad gratiam disponant.

3. *Tertia objectio. — Responsio.* — Tertio dici potest, hunc effectum variari et esse inæqualem in parvulis ex divina ordinatione et prædestinatione, quod aliquando significat Scotus esse probabile, ut loco supra citato notavimus, et in re idem sentit Palud. in 4, dist. 4, quæst. 1, qui hoc colligit ex eo quod omnes homines electi a Deo assumpti sunt ad sedes Angelorum, qui ceciderunt. Unde infert, necesse esse, ut omnes sint in gratia et gloria inæquales, quia Angeli omnes sicut sunt inæquales in natura, ita et in gratia et gloria; ergo etiam infantes, qui cum solo effectu baptismi ex hac vita decedunt, assumuntur ad inæquales sedes Angelorum; ergo recipiunt per baptismum illam inæqualem gratiam, solum quia per divinam prædestinationem ad illas inæquales sedes ordinati sunt. Respondetur, improbabile esse sacramentorum effectus, qui in hominibus fiunt, per solam divinam voluntatem aut prædestinationem metiri, ac si non habeant sacramenta certos ac stabiles effectus divina lege ac promissione definitos, cum tamen hoc certissimum sit, ut prædicto loco ostendi; divina ergo electio ad inæqualem gloriam non efficit ut per æqualia media hominibus æque dispositis inæquales effectus conferantur; hic enim non esset conveniens providentiæ modus, quia divina electio impleri debet per proportionata media, alias dici etiam posset, adultos æque dispositos recipere inæquales effectus sacramentorum; aut per æqualia opera, et cæteris omnibus paribus, recipere inæquale augmentum gratiæ, ut tandem accipiant inæquales sedes gloriæ, ad quas sunt præordinati; quæ tamen absurda sunt; non ergo hoc efficit divina electio; sed quando hæc in intentione suæ efficacitæ terminatur ad inæqualem gloriam, consequenter efficit, ut dentur inæqualia media et proportionata ad inæqualem gratiam obtinendam. Ad motivum ergo Paludani, in primis incertum est, omnes Angelos esse in gloria inæquales. Deinde falsum est, omnes homines electos assumptos esse ad reparandas sedes Angelorum; nam primaria ratio electionis hominum non fuit reparatio angelicarum sedium; non enim prædestinati nossumus occasione peccati Angelorum; sed tam per se, sicut ipsi Angeli, ut recte tractat Anselm., lib. 1 Cur Deus homo, cap. 48.

4. Quapropter sine fundamento dicitur, nec

plures, nec pauciores homines esse salvandos, quam fuerunt Angeli, qui ceciderunt, vel non esse habituros majorem vel minorem gloriam, quam haberent illi, si perseverassent; nam primum horum incertum est, et probabilius fortasse est, plures homines fore salvandos, quam Angeli ceciderunt. Secundum vero est plane falsum; nam, esto, sit verisimile omnes illos gradus gloriæ, qui futuri erant in Angelis lapsis, si perseverassent, reparandos esse in hominibus (sic enim interdum videntur loqui sancti Patres), tamen, quod non sit in eis futura aliqua major, vel minor gloria, quam esset futura in illis Angelis, falsum omnino est, quia saltem in Beata Virgine est certissimum, futuram esse majorem gloriam, quam in omnibus illis; et idem est probabile de aliquibus eximiis sanctis hominibus, si qui sunt, qui superent in gloria omnes beatos Angelos; nam probabile est, supremum sanctorum Angelorum habere nunc majorem gloriam, quam habiturus esset Lucifer, si perseverasset. Et simili modo non videtur dubium, quin multi homines habituri sint gloriam minus perfectam, quam Angeli, qui ceciderunt, habuissent, si perseverassent; quod maxime credendum videtur de infantibus; nam horum gratia est valde imperfecta, ut jam dicam; tota autem angelica natura accepit in sua creatione perfectissimam gratiam, naturali perfectioni ejus proportionatam. Ex hoc ergo fundamento non potest colligi, gloriam infantium futuram esse inæqualem, sed in multis erit æqualis, qui per æqualia media salvati sunt; in aliis vero poterit esse major, et in aliis minor propter diversitatem mediorum, ut statim explicabo; quæ tota varietas ad ostensionem divinæ gratiæ et ad decorem et splendorem gloriæ pertinebit.

5. *Quanta sit gratia, quæ infantibus per baptismum datur.* — Sed antequam ab infantibus separemur, quæri breviter potest, quanta sit hæc gratia, quæ infantibus per baptismum datur. Quidam enim existimant esse minimam; sed, ut hoc sit verum, intelligendum est de minima, quæ per baptismum datur; non enim est minima in intensione, quæ simpliciter reperiri potest in qualitate gratiæ, quia, vel in nulla qualitate datur hujusmodi minimum in intensione; vel, si datur, gratis et sine ullo fundamento attribuitur effectui baptismi; præsertim cum sancti Patres plurimum commendent, et exaggerent gratiam baptismalem. Quocirca non existimo, illam gratiam ita esse imperfectam,

quin minor fuerit data parvulis per circumcisionem et per remedium legis naturæ, quia hoc pertinet ad plenitudinem perfectionis legis gratiæ, in qua et homines assumuntur et per baptismum consecrantur ad perfectiorem statum, magisque spiritualem, quam in lege veteri; et Christi merita re ipsa jam exhibita copiosius operantur. Deinde non est improbabile, hanc gratiam baptismalem, quæ datur infantibus, habere plures gradus intensionis, quam minima gratia, quæ datur per pœnitentiam, extremam unctionem et similia sacramenta; quamvis omnis hæc comparatio incerta sit, sicut etiam incertum est, quot gradus gratiæ per baptismum parvulis conferantur. Denique, quod hæc gratia baptismalis parvulorum sit minima inter baptismales, dupliciter intelligi potest: primo negative, scilicet, quia nulla est minor illa, et hoc modo est res clara et certa, quia non est unde gratia illa possit decrescere, cum in subjecto nulla possit esse minor dispositio, quam non repugnantia ad gratiam. Secundo modo potest intelligi positive, scilicet, quia potest dari gratia baptismalis major, quam hæc, et hic sensus est etiam verus, pendet tamen ex sequentibus.

6. *Adulti defectu dispositionis nullum interdum effectum baptismi accipiunt.* — Omissis ergo infantibus, quæstio proposita proprium locum habet in adultis, de quibus dicendum est, primo, ex defectu dispositionis interdum fieri posse, ut nullum effectum gratiæ per baptismum accipiant. Hæc conclusio est certa, quia sacramenta non dant gratiam ponenti obicem; qui autem accedit sine dispositione debita, ponit obicem, et hoc idem est, quod D. Thom. ait, fictionem impedire effectum baptismi; nam accedere sine debita dispositione est fide accedere. Dices: interdum potest quis accedere sine debita dispositione absque fictione, ut si bona fide accedat; nam hoc posse interdum contingere, dictum est sectione præcedente; nam qui bona fide accedit, revera non fingit, sed talem se exterius exhibet, qualem se esse existimat. Respondetur: sicut, qui dicit falsum, putans se dicere verum, materialiter dicit mendacium, ipse autem formaliter non mentitur, ita qui bona fide accedit indispositus, obicem ponit et materialiter ac re ipsa fictus est, quamvis formaliter et quoad novam culpam non fingat.

7. *Dispositio ad gratiam sufficit ad omnia quæ eam consequuntur.* — In remissione peccatorum inæqualitas provenit ex parte sub-

jecti. — Dico secundo, ex imperfectione dispositionis fieri posse, ut effectus baptismi minnatur, et e converso, ut ex perfectione dispositionis augeatur. Ut declaretur et probetur hæc assertio, advertendum est, in effectibus baptismi duplicem quantitatem intelligi posse: prior vocari potest extensiva, seu quasi discreta, ut est habitum ac donorum multitudo, remissio peccatorum mortalium et venialium et omnium pœnarum. Et præterea aliqua alia auxilia gratiæ, si fortasse aliqua dantur ratione baptismi præter ea quæ ex natura rei debentur gratiæ habituali. Posterior quantitas est intensiva, quæ ejusdem rationis seu proportionis est in gratia gratum faciente, et in omnibus virtutibus infusis, et donis, quæ illam consequuntur. Quod igitur spectat ad priorem quantitatem, quælibet dispositio, quæ sufficit ad gratiam recipiendam per baptismum, sufficit ad omnia alia positiva habitualia dona gratiæ, quæ secundum legem ordinariam dari possunt per baptismum: tum quia hæc ex natura rei consequuntur gratiam; tum etiam quia qui non ponit obicem gratiæ, non ponit etiam illum aliis virtutibus seu donis infusis; sufficit etiam illa dispositio ad omnia mortalia peccata tollenda, quia omnia per gratiam remittuntur, neque unum potest sine alio remitti, aut cum gratia simul esse. Atque ita in hac quantitate hujus effectus non potest esse inæqualitas ratione dispositionis, quia totus hic effectus per se, et ex natura sua, est quasi indivisibilis; solum in remissione peccatorum mortalium fieri potest, ut uni plura remittantur quam alteri; sed hoc non potest provenire ex parte dispositionis, quia cum eadem dispositione, imo et cum meliori, possunt alicui pauciora peccata remitti. Tantum ergo potest hoc provenire ex parte subjecti, scilicet, quia unus homo plura habet peccata, quam alius, quod est per accidens et quasi materiale ad virtutem sacramenti, cujus efficacia formaliter in hoc consistit, quod tollit semper omnia peccata mortalia, quæ invenit in subjecto disposito; atque idem proportionaliter est in remissione pœnæ, quæ respondet hujusmodi peccatis. Nam ex parte sacramenti et dispositionis requisitæ ad effectum ejus, non reperitur magis et minus in hoc effectum, sed si aliquid hujus pœnæ remittitur per baptismum, totam remitti necesse est, quia non potest ex parte subjecti dari obex impediens remissionem totius pœnæ æternæ et temporalis, si non datur ad remissionem culpæ; cum nulla satis-

factio exigatur ab eo, qui digne suscipit baptismum. Ex parte vero subjecti fieri potest, ut uni remittatur major pœna, quam alteri, quia inventus est reus majoris pœnæ propter plura et majora peccata, quod est per accidens, ut dixi. Tandem in remissione peccatorum venialium in hoc etiam reperitur quædam æqualitas, quia illa dispositio, quæ sufficit ad gratiam, sufficit ad remissionem peccatorum venialium, quæ in subjecto inventa fuerint, si aliunde non fuerit positum speciale impedimentum, quia baptismus de se est efficax ad hunc effectum, et ideo illum præstat si non invenit obicem.

8. *Discrimen inter venialia et mortalia*. — Est autem differentia inter peccata venialia et mortalia, quod remissis mortalibus non necessario remittuntur venialia, neque remissio uno veniali necessario remittuntur omnia. Quia potest quis veram attritionem vel contritionem habere de peccatis mortalibus, complacendo in venialibus; possunt item venialia simul esse cum gratia sanctificante; et ideo licet illa infundatur per sacramentum homini attrito, non necesse est excludi venialia, si contingat, hominem in eis actu complacere seu consentire, nam hæc prava dispositio actualis eorum remissioni repugnat, ut D. Thom. tradit infra, quæst. 86, art. 2, et ibi latius dicitur. Similiter potest unum peccatum veniale displicere, quamvis aliud adhuc placeat, et ad remittendum veniale peccatum per se non requiritur gratiæ habitualis infusio; et ideo fieri etiam potest, ut per baptismum tollatur unum peccatum veniale absque alio, si baptismus inveniat hominem affectum et complacentem in aliquo peccato veniali et non in alio; sic igitur in hoc effectum reperiri potest inæqualitas (ut sic dicam) extensiva ex imperfecta dispositione recipientis, seu potius ex contraria dispositione repugnante plenitudini et integritati hujus effectus, quæ tamen non impedit substantialem effectum ejus, qui est gratia et remissio peccati mortalis, quia non excludit veram attritionem, ut dictum est; licet Palud.; dist. 4, quæst. 5, indicet, per solum veniale peccatum posse impediri effectum gratiæ sacramentalis, quod omnino falsum est, ut supra etiam tetigimus tractando de sacramentis in genere. Atque hinc tandem constat, in effectum remissionis pœnæ, quæ correspondet culpæ venialibus, posse ex eadem radice reperiri aliquam inæqualitatem proportionatam remissioni culpæ, quia in hoc sacramento, remissa aliqua veniali culpa, tota pœna illi

respondens remittitur, quia quoad hoc non potest poni obex specialis, neque etiam exigatur satisfactio, remissa culpa; solum ergo potest relinqui aliquis reatus pœnæ temporalis, quatenus potest manere aliqua culpa venialis non remissa. Atque hæc de priori quantitate hujus effectus.

9. *Effectus baptismi potest esse inæqualis intensive pro inæqualitate dispositionis*. — Altera quantitas effectus baptismi est intensiva, de qua longa posset institui disputatio, nisi superius esset tractata in materia de sacramentis in genere; et ideo breviter solum dicendum est pro qualitate dispositionis posse hunc effectum esse inæqualem, seu intensiorem, vel remissiorem, quod satis significavit Concil. Trident., sess. 6, cap. 7; agens enim de gratia, cujus instrumentalis causa est baptismus, dari docet unicuique juxta dispositionem ejus; atque idem docet D. Thom. hic, cujus ratio est optima, de qua plura citato loco. Atque hinc infert Soto, dist. 6, quæst. 4, art. 6, hanc gratiam semper infundi intensiorem adulto, quam infantibus, quod est satis verisimile, quia semper adultus est melius dispositus, quam infans; nam hic nullam habet positivam dispositionem, sed solam non repugnantiam; adultus vero semper esse debet positive dispositus per proprium actum, quod sanctificationis genus perfectius est.

10. *Objectio*. — Sed dicit aliquis, hanc rationem habere vim, si cætera sint paria ex parte subjecti; fieri autem posse, imo semper moraliter accidere, ut ex parte subjecti sit magna diversitas; nam infans tantum habet originale peccatum; adultus vero habet simul peccata actualia. Unde majorem habet repugnantiam ad gratiam, quam infans; et ideo, licet aliquam habeat actualem dispositionem, tamen respectu talis subjecti non videtur illud reddere magis proportionatum ad majorem gratiam accipiendam; præsertim si illa dispositio non sit contritio, sed tantum attritio. Hoc autem argumentum, si alicujus momenti est, consequenter probabit, ex duobus adultis, si alter habeat plura peccata actualia, quam alius, licet cum eadem attritione accedant ad baptismum vel pœnitentiam, majorem gratiam accipere eum, qui pauciora habet peccata, quia, licet actus dispositionis in se sit æqualis, tamen respectu subjecti indignioris, magisque indispositi per plura peccata, moraliter censetur minor dispositio; sicut idem calor ut duo, in subjecto humidiori ac densiori dici potest minor dispositio ad ignem,

quam in subjecto sicciori. Unde ulterius etiam sequitur, adultum magis attritum, posse recipere minorem gratiam per baptismum vel pœnitentiam, quam alium minus attritum; videlicet si prior habeat plura peccata, et servata proportione, sit major excessus in multitudine seu magnitudine peccatorum, quam in attritione.

11. *Responsio*. — *Æqualitas vel inæqualitas dispositionis unde sumenda sit*. — *Adultus majorem gratiam recipit in baptismo, quam infans*. — Et fortasse non deerit, cui hæc omnia non videantur absurda, quia revera habent aliquam speciem congruentiæ probabilis; nihilominus tamen mihi, sicut nova videntur, ita etiam minus probanda; sed dicendum est, inæqualitatem vel perfectionem dispositionis simpliciter attendendam esse ex qualitate, specie, intensione et quacumque alia perfectione positiva ipsius dispositionis, nulla habita ratione multitudinis, vel magnitudinis peccatorum, quæ præcesserunt. Potest quidem propter plura vel majora peccata major reatus pœnæ temporalis relinqui, stante æquali dispositione, si justificatio fiat extra sacramentum vel in sacramento pœnitentiæ; nam in baptismo hoc non habet locum, ut jam diximus; tamen, quoad effectum gratiæ, non infundetur major vel minor, stante æquali dispositione, propter pauciora vel plura peccata præterita, quia ab omnibus æque avertitur voluntas per æqualem dispositionem, et æque ad Deum convertitur, nec plura peccata præterita faciunt illam dispositionem moraliter minorem, quia non sunt circumstantiæ ejus, et dispositio illa non accipit a dignitate vel indignitate subjecti proportionem illam seu congruentiam, quam habet ad effectum gratiæ, sed ex gratia Spiritus Sancti, et ex sua intrinseca perfectione. Denique, quia peccator, formaliter loquendo, tam est aversus a Deo, tamque repugnat gratiæ per unum peccatum, sicut per multa; quamvis radicaliter et demeritorie unus sit aversus per plura peccata, quam alius; et e converso vera attritio æque disponit ad tollendam aversionem, ex quacumque radice seu voluntate orta sit. Unde tandem concluditur, servata proportione, vere ac recte dici, adultum, per propriam dispositionem justificatum, in baptismo majorem gratiam accipere, quam infantem, quia est melius dispositus. Et hæc de posteriori quantitate intensiva effectus baptismi.

12. *Utrum in baptismo fide suscepto possit infundi fides, aut spes, sine gratia, vel ante*